



00 662

294<sup>2</sup>  
qm.



22  
85

M E D I C A T I O  
I U V E N I S  
**I C T E R O F L A V O**  
L A B O R A N T I S:

Q V A M  
Divino adjuvante Numinē,  
S U B P R A E S I D I O  
V I R I C L A R I S S I M I  
**D. H E N R I C I R E G I I,**  
Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ  
ac Botanices Professoris Ordinarii,  
*Publicè examinandam propon*  
**I S B R A N D U S K I E F T,** Amstelo-Bat.  
*Ad diem 7. Iulij, horâ 9. matutinâ.*



Naturâ & Industriâ.

T R A J E C T I ad R H E N U M ,  
Ex Officinâ Iohannis à Noortdijck, In Academ. Typographi.  
A N N O C I O I C C X L V I I .

*Patri Charissimo*

D. WILHELMO KIEFT,  
Civi Reipub: Amstelo-  
damensis dignissimo ,  
omni obedientiâ , &  
honore, quem Filium  
decet, in æternum mi-  
hi colendo,

*Hasce studiorum primitias*

Dedico & consecro

ISBRANDVS KIEFT

M E D I C A T I O  
I U V E N I S  
**I C T E R O F L A V O**  
L A B O R A N T I S.

I.

**I**Uvenis viginti septem annorum, temperamento biliosus, qui diu vini generosi immoderatio potu se fatigavit, in dextro hypochondrio gravitatem jam à duabus septimanis sentit. Alvis ipsi est adstrictior, excrementa excernit subalbida. Totus vultus, & præsertim oculi, aureo colore sunt perfusi, Urimæ crassæ ex flavo & rubro fere nigricant.

II.

Afficitur in hoc ægro hepar; ut patet ex dolore gravativo, in dextro hypochondrio percepto. Afficitur etiam folliculus fellis, aut saltem ductus cholodochus, ut manifestum est ex flavo colore, quo vultus ejus & oculi sunt perfusi: nec non ex urina crassa, rubra, & nigricante: atque etiam ex alvifæcibus subalbidis. Afficitur denique totum corpus; uti indicat flavus color, quo tota cutis est tincta.

III.

*Morbus*, quo æger noster affligitur, est intemperies calidior hepatis, nec non vasorum cholodochorum, tum in folliculum fellis, tum in intestina desinentium, obstructio; que, copiosam bilem gignentes, eamque per totum corpus diffundentes, illud que flavo colore tingentes, *icterus flavus* appellantur.

VI.

*Causa procatarctica* hujus morbi est crapula illa diuturna, quâ noster æger intemperiem calidam hepatis & magnam copiam crassæ & viscidæ bilis in toto corpore, & præsertim in hepatæ

A a 2 genuit;

genuit; quæ ibi existens, & per vasa dispersa, causa hujus morbi fuit *antecedens*. Folliculi verò bilarii & cholodochorum ductuum vasis pars ejus inserta & agglutinata, & per hepar acto-rius corporis cutim diffusa, est causa obstructionum & tumoris hepatis, obstructionisque folliculi fellis & vasorum cholodo-chorum, *continens*; unde reliqua symptomata deinde originem ducunt.

V.

Nam propter obstructions ductuum biliariorum, in intestinum jejunum desinentium, bilis in intestina exonerari, & cum fæcibus ibidem misceri non potest. Atque hinc alvus est adstrictior; quia sc. fæces, naturali stimulo destitutæ, intestina ad justam excretionem faciendam non excitant. Si quid autem fæcum excernatur, id, propter bilis, fæces naturaliter flavo colore tingentis, defectum, est albidum.

VI.

Porrò, cum bilis, quæ in hepate nimis calido magnâ copiâ perpetuò gignitur, per naturales vias, propter obstructions ductuum cholodochorum, in intestina expelli non possit; hinc magna ejus copia in hepatis parenchymate colligitur, quæ ibi existens, tumorem & gravitatis sensum, in dextro hypochondrio, parit; cum reliquo verò sanguine per totum corpus delata, universi corporis cutim, sed præcipue vultum, & oculos, ubi venæ magis conspicuæ ad cuticulâ usq; pervenient, flavo colore tingit. Et denique magna istius crassæ bilis pars ad cor (quod sanguinem ex arteriis in venas, & inde per suos ventriculos in arterias, perpetuo circulo movet) delata, & inde per arterias emulgentes in renes propulsa, ibique cum fero à reliquo sanguine separata, facit urinas crassas, & ex flavo & rubro pene nigritantes.

VII.

Morbus hic, propter gravitatem & dolorem in dextro hypochondrio perceptū, & hepar graviter affectum esse indicantem, fatis

satis est periculosus. Verum, cum hic nulla adsit febris, moribusq;  
altas radices non egerit, haud valde difficulter curari posse vi-  
detur; modo bona curatio tempestive adhibeatur.

### VIII.

Eaque consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, & con-  
tinentis ablatione; & intemperiei ac obstructionis hepatis &  
ductuum biliariorum, per contraria, correctione.

### IX.

Primò itaque sumat tale purgans:

Rx. rabarbari electisrup. v.

fol. sennæ dragm. ij.

cinnamomi scrup. f.

sem. anisi, fænicul. an. scrup. i.

Pest levem ebullitionem infundantur per  
noctem in aq. comm. q. f: mane adde  
colatura tremor. tartari dragm. f.

scammonij gr. vi.

Misce, F. Haustus, mane exhibendus.

Postridie educatur sanguis ad uncias octo, ex brachio dextro.

Sequentibus diebus semel vel bis, pro operationis ratione,  
haustum ex hoc decocto quotidie sumat:

Rx. rad. cichorij,

rubiae tinctorum,

fæniculi,

petroselini,

chelidoniae majoris an. vnc. f.

asparagi,

rufci an. vnc. f.

Herb. cichorij,

dentis leonis,

agrimoniae,

chelidoniae majoris,

marrubij an. m. j.

absinthij rom.,

Aa 3

chame-

chamedryos an. M. f.

sem. anisi,

faniculi,

dauci,

carui. an dragm. j.

sem. 4. frigid. maj. an scrup. ij.

Decoquantur in aq. comm. ad lib. j. s. addendo

sub finem decoctionis fol. sennae vnc. j.

rabarb. dragm. ij. In Colatura dissolve

syr. de cichorio cum rabarb. vnc. j. s.

Misce, F. Apozema.

Pro dolore gravativo dextri hypochondrii hoc fotu utatur:

Rx. flor. camomillor, meliloti,

summit. absinthii,

folior. malvae an. m. j.

sem. anisi.

farin. sem. fænigræci, lini an. dragm. iij.

Decoquantur in aq. comm. q. s. pro Fotu, calidè

adhibendo, cum spongis vel pannis laneis

expressis.

Si morbus perseveret hoc exhibeatur remedium:

Rx. chalibis præparati vnc. j.

specier. diarhodon. abbatis vnc. s.

rabarb. pulverisati dragm. iij.

Cum syr. acetosi s. & de limonibus q. s.

F. Electuarium, de quo sumat mane

dragmæ quantitatem quotidie per duodecim

vel quindecim dies.

Vel præscribi etiam potest hoc decoctum:

Rx. chelidoniae majoris cum toto m. j.

fol. & flor. hyperici an. m. s.

rasuræ eboris;

pulv. stercoris anseris an. dragm. iij.

croci dragm. s.

Pulvis

Pulvis steroris asperis & crocus includantur

nodulo, & omnia coquantur in aq. part. vini  
albi & aq. absinthij ad lib. j. & F. Apozema in tres  
doses matutinas: quod postea aliquoties reiterari poterit.

Stercus album & exsiccatum gallinarum, cum vino in pulve-  
re ad dragmam s. vel dragm. j, per aliquot dies exhibitum, ma-  
gnæ est efficaciæ.

Sublatis obstructionibus, quod ex fæcibus caloratis apparebit,  
conveniet balneum aquæ dulcis, ad flavum corporis colore m̄  
facilius & citius tollendum.

#### X.

In victus ratione aër sit temperatus; cibus humectans, refri-  
gerans, modice attenuans, eupeptus, ex aviculis montanis, pul-  
lis gallinaceis, carne vervecina, piscibus saxatilibus, prunis, po-  
mis, cerasis, limonibus, aurantiis. Vitentur dulcia. Potus sit  
cerevisia tenuis, vinum dilutum. Exercitium sit mediocre.  
Somnus moderatus. Excrements alvi respondeant indies na-  
turâ vel arte. Tristes & iracundi affectus fugiantur; hilares ad-  
mittantur.

## C O R O L L A R I A.

1. Medicina tota est practica; ejusque forma, finis, effectum;  
& subjectum est mederi humanae valetudini.
2. Succus melancholicus per vas breve venosum non transmit-  
titur in ventriculum
3. Omnes humores ab uno eodemque calore generantur.
4. In metu non refluit sanguis per arterias ad eorū.
5. Cordis & arteriarū systole & diastole eodem tempore.
6. Pulmo dilatatur ab aere impulso.
7. Calor nativus est cœlestis & elementaris.
8. Naturales facultates per hyemem optime se habent in vali-  
dis; pessime in debilibus.
9. Morbus non est privatio.
10. Non omnis morbus habet continentem causam.
11. Causa myopiæ consistit in crystalini humoris nimia remo-  
zione à tunica retinâ; non autem in spirituum nimia tenui-  
tate vel raritate.
12. In ascite non semper adest fissura visceris.
13. Ephemera febris, à simplici spirituum fervore dependens,  
morbis acutis non est annumeranda.
14. Dissimiles morbi (ceteris paribus) semper similibus  
sunt magis periculosi.
15. Non, quanto magis putridus sanguis è vena fluit, tanto  
major copia est exhaurienda.
16. Post venæ sectionem mox dormire nihil vetat.
17. Ad præparandū succos non semper est utendū attenuantibus.
18. Coctio non semper in purgatione est expectanda, si mate-  
ria non turget.
19. Corpus & extensio in longum latum & profundum inter-  
se reciprocantur.
20. Ad sensationem nullis opus est speciebus intentionalibus.

F I N I S.



00 A 6396

ULB Halle  
002 928 167

3



Stra



# OLLARIA.

ris non semper eo, quo genitae sunt modo, tollenda  
te non necessario semper hepar est affectum.  
e cum ventriculo & lumen est continuum.  
itioni est praemittenda, ubi utraque desideratur.  
xcernitur immutatus.  
ora sunt porosa.  
potest considerari & subsistere absque substantia, ab  
mquam eius subjecto.



M E D I C A T I O  
I U V E N I S

## ICTERO FLAVO LABORANTIS:

Q V A M

Divino adjuvante Numine,

S U B P R A S I D I O

V I R I C L A R I S S I M I

D. H E N R I C I R E G I I,  
Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ  
ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè examinandam propon

I S B R A N D U S K I E F T, Amstelo-Bat.

Ad diem 7. Iulij, horâ 9. matutinâ.



Naturâ & Industriâ.

T R A J E C T I ad R H E N U M ,  
Ex Officinâ Iohannis à Noortdijck, In Academ. Typographi.  
A N N O C I O I C C X L V I I .